Auxilium ſufficiens dat homini ut poſſit agere, tribuitque ei vim ad volendum ; ſed non complete omnino ; quia eſt neceſſaria gratia efficax intrinſeca, & determinans voluntatem per modum actus primi, & tunc homo eſt complete potens.

Quin etiam illi ipſi recentiores Thomiſtæ, quibus Alvareſii loquendi formulas æmulari libuit, alios de Schola Thomiſtica doctiſſimos viros, longe aliter loqui, aliterque ſentire, profitentur. *Quidam viri docti*, inquit Petrus Ledeſma Alvareſii ſectator, *Tractatu de Auxiliis quæſt. unica art. 3. ex diſcipulis S. Thomæ exiſtimant, quod illud Auxilium* (per ſe efficax) *præmovens cauſſam ſecundam, eſt quædam vis activa, complens virtutem operativam cauſſæ ſecundæ, & conſtituens eam in ultima conſummatione actus primi* . . . Et *articulo undecimo : Alii diſcipuli S. Thomæ docent, quod auxilium efficax prædeterminans voluntatem, tenet ſe ex parte actus primi, tanquam conſtituens illum in ultima actualitate . . . Unde auxilium ſufficiens non eſt completum, & conſummatum, niſi per auxilium efficax, & prædeterminans. Itaque ſecundum iſtam ſententiam, non datur auxilium ſufficiens completum, & conſummatum, antequam ſit conjunctum auxilio efficaci, quod prædeterminat voluntatem.*

Quidni ergo in eo recentium Thomiſtarum conflictu, cum iis ſentire, cum iis loqui mihi licuit, qui cum Majoribus noſtris, & loquuntur, & ſentiunt? Maxime cum & ii congruentius, & ad eludendos quoſcunque Molinianorum cavillos, aptius loqui perhibeantur. Potentiam enim, cui ad agendum, aliud eſt neceſſarium auxilium, completam, expeditam, pleniſſimam, actuique proximam dicere, (quod Alvareſii diſcipuli faciunt) periculoſæ eſt aleæ : cum vel ſic aliud negari videatur auxilium, quo poteſtas agendi ultimo compleatur, expediatur, actuique proxime conjungatur. Certe quod gratiam ſimplicis illuſtrationis, & excitationis *ſufficientem*, pro ſcholæ more nuncupemus ; (quamquam & ſuus eſt huic vocabulo rectiſſimus ſenſus) quot Deus bone ! Molinianorum cavilli, quot technæ, quot argutiæ, ut gratiam ſe ipſa efficacem, futilem, ac ſuperfluam nobis oſtendant? *Hæc ſi ſufficit*, inquiunt illi, *non eſt igitur altera gratia neceſſaria*. Quid futurum, ſi potentiam humanæ voluntati, hujuſmodi gratia ſufficienti collatam, *plenam*, *expeditam*, *completam*, ac etiam *proximam* vocaverimus? Annon illi tibias ſuas multo magis inflabunt, ut rejectam a nobis efficacis gratiæ neceſſitatem altius inclament: noſque vano verborum fuco, Theologos ludere, conquerantur ; dum potentiæ pleniſſimæ, expeditæ, completæ, aliam ad agendum gratiam neceſſariam dictitamus?

Quintum demum, quod ad ſcrupulum eximendum reponere juvat, iſtud habe ; Meram ſcilicet illam eſſe recentium quorumdam Thomiſtarum Logomachiam, verborumque contentionem ; quæ ſtatuto a nobis principio (de gratia ſe ipſa efficaci, novas ſauciatæ voluntati vires, novumque robur addente) nihil prorſus officiat. Quandoquidem illi ipſi recentiores Thomiſtæ, qui potentiam agendi omnino plenam, completam, expeditam, actuique proximam, gratiis ſufficientibus dari dicunt ; novas nihilominus vires, novumque robur, per gratiam ſe ipſa efficacem afferri perinde fatentur: cum & vim medicam efficaci gratiæ tribuant, & victricem in ea delectationem agnoſcant : (quæ duo novarum virium, novique roboris collationem important:) celeberrimumque Auguſtini dictum *de gratia præbente vires efficaciſſimas voluntati*, de gratia ſe ipſa efficaci interpretentur.

Imo hanc ipſam, quam ego poſui, auxiliorum efficacium differentiam, diſertiſſime ponunt. *Nulla alia excogitari poteſt differentia inter hujuſmodi auxilia, niſi ea duntaxat, quod illud prius auxilium Angelorum, & hominis ſani ſupponit vires ; auxilium vero hominis lapſi illas confert : id eſt, quod gratia, Angelis, & homini in ſtatu innocentiæ neceſſaria, ſupponit utriuſque voluntatem, ex perfectiſſima ad Deum ſubjectione robuſtiſſimam, ita ut in homine partem inferiorem ſub ſuperiori ſubjectam contineat ; gratia vero efficax homini lapſa ad operandum neceſſaria non ſupponit vires, ſed illas confert, ſubjiciendo perfecte voluntatem ejus Deo, & partem inferiorem ipſi ſuperiori.* Antonini Reginaldi verba ſunt, *parte 2. de mente Concilii Tridentini cap. 30.* Quamquam Alvareſii ſyſtema defendat & ipſe.

III. Quin etiam, ubi rem totam penitius obſervo, ne veram quidem, ſed apparentem duntaxat Logomachiam, eos inter Theologos eſſe puto, omneſque ſecum invicem per omnia conſentire. Qui enim agendi potentiam omnino plenam, completam, expeditam, actuique proximam dicunt ſolis gratiis ſufficientibus dari ; de potentia *ſimplici*, *nuda*, ac *ſolitaria* loqui perhibentur : qui vero negant, idque efficaci gratiæ tribuunt, potentiam re ipſa agentem & operantem intelligunt. Rurſus, qui gratiam efficacem ad actum primum pertinere negant ; atque ita, novum poteſtatis gradum afferre, negare videntur ; ad eum actum negant *unice* pertinere : alias enim ad utrumque actum, primum videlicet, & ſecundum, communiter pertinere volunt ; novumque poteſtatis gradum afferre, ſimulque operi applicare. Quod diſerte ſignificat laudatus Reginaldus, Alvareſii ſyſtema licet amplexus, in prædicto opere *de Mente Concilii Tridentini circa gratiam per ſe efficacem, parte 2. cap. 41. Falſum eſt*, inquit, *quod gratia per ſe ipſam efficax, licet ſit præveniens, ſe teneat ex parte actus primi, & potentiæ in ratione potentiæ præciſe ut ſic ; quia non dat nudum poſſe, ſed dat poſſe cum actu, dat poſſibilitatem cum effectu, ut loquitur Auguſtinus, reducit potentiam ad actum. Unde nec proprie ſe tenet ex parte actus primi, id eſt, potentiæ ut potentia eſt ; nec ex parte actus ſecundi, præciſe ut eſt actus ſecundus, & operatio ; ſed eſt id quo potentia reducitur de actu primo ad ſecundum. Atque ita illo eodem prorſus modo, quo adverſarii* (Moliniani) *dicunt, ſine gratia cooperante hominem non poſſe ; & nihilominus ſine illa potentiam in ratione potentiæ eſſe completam ; quamvis non ſit completa eo modo, quo potentia completur per actum, præſertim immanentem : eodem, inquam, modo nos dicimus, ſine gratia per ſe ipſam efficaci, hominem non poſſe ; & nihilominus ſine illa habere potentiam completam in ratione potentiæ* (nudæ, ac ſolitariæ ;) *quamvis non eo complemento, quod reducit potentiam de actu primo ad ſecundum*. Quibus paria habet Antoninus Maſſoulie, hoc idem verſans argumentum, in erudito opere, cui titulus eſt, *S. Thomas ſui ipſius interpres* ; cui, & ego Romæ dum eſſem ante annos triginta calculum adjeci, non approbator tantum, ſed etiam admirator.

Quæ cum ita ſint omnia, nihil cauſſæ eſſe puto, cur inculcatam a me ſæpius, variarum gratiarum efficacium, pro variis humanæ naturæ ſtatibus, differentiam, non perinde ſint probaturi Thomiſtæ illi recentiores, qui Alvareſii ſyſtema, ſeu verius ſingulares ejuſdem, de potentia agendi completa, atque proxima, loquendi formulas, tenacius æmulantur. Certaque mihi ſpes eſt, eamdem illos viam inituros, ut graves illas ex Auguſtini ſententia petitas difficultates expediant ; hocque Theologicæ facultatis ænigma ſacratiſſimum ſolvant.

INDEX
MATERIARUM.

A

Adam non potuit ſe ipſum facere meliorem, quam Deus eum fecerit. *Pag.* 22
Idem non potuit ſibi eſſe melior quam fuerit illi Deus. 25
Idem a ſe ipſo nihil habuit, de quo poſſet in ſe ipſo, non in Domino gloriari. ibid
Ejus perſeverantia peculiari Dei adjutorio adſcribenda. 29. & ſeq.
Ejus in bono firmitas ex ſolo Dei adjutorio repetenda. 40. & ſeq.
Illine datum fuerit auxilium quo perſeveraret, non hic quæritur ; ſed an illo eguerit, ut re ipſa perſeveraret. 46. 49
Adjutorium duplex ab Auguſtino diſtinctum, quo fit opus, & ſine quo non fit. ibid
Ea duplicis adjutorii diſtinctio, tametſi optima, immerito tamen a nonnullis jactatur, uti totius Auguſtinianæ doctrinæ baſis, & clavis. 51. & ſeq.
Vera duplicis hujus adjutorii intelligentia datur. 52. & ſeq.
Majus adjutorium bonis Angelis datum ut ſtarent, non fuit certa de beatitudinis perennitate notitia. 27
Idem non fuit majus, intra ordinem adjutorii ſufficientis, ac mere verſatilis. ibid
Idem non fuit duntaxat externum. 28
Alvares (Didacus.) Ejus ſyſtema, de poteſtate completa & proxima per gratiam ſufficientem homini data, quomodo cum noſtro ſyſtemate concilietur. 61
Ab Alvareſii ſyſtemate plerique Thomiſtæ diſſentiunt, proximamque potentiam per gratiam ſufficientem dari diffitentur. 62
Apparens duntaxat eos inter diſſentio eſt, ac pugna verborum. ibid
Angeli in ordine præſertim ſupernaturali, nihil in via a ſe ipſis habuerunt, de quo poſſent in ſe ipſis, non in Domino gloriari. 25. & ſeq.
Illos Deus, ſola præſcientia caſus futuri, non diſcrevit, ſed per gratiam. 25
Quomodo præſtiterit Deus, ne illorum aliqui caderent. 27
In illorum movendis voluntatibus, ſuam Deus omnipotentiam oſtendit. 29
Cur illorum aliqui præ aliis ad Deum converſi ſint, inſcrutabilis quæſtio. 27
Qui ſteterunt, amplius adjuti fuere, quam qui ceciderunt. 28
Quale fuerit majus illud adjutorium, an patriæ, an viæ? 29
Bonorum Angelorum perſeverantia efficaci Dei adjutorio adſcribenda. 30
Non potuerunt ſe ipſos facere meliores, quam Deus eos fecerit. 22
Non potuerunt ſibi ipſis eſſe meliores, quam illis fuerit Deus. 24
Horum aliqui in via minime tentati ſunt : qui vero externe tentati, ex æquo tentati fuere : non alii plus, alii minus. 29
Annotationum libellus anonymus, contra hanc noſtram conciliationem Mediolani diſſeminatus, perſtringitur. Præf. 19.
Idem diſtincte refellitur. 24. 26. 27. 28. 30. 31. 32. 36. 39. 40.
Antilogiæ ſeu contradictiones principiorum & dogmatum, in adverſariorum doctrina. 45. & ſeq.
Antitheſes ab Auguſtino poſitæ inter Adamum, & juſtos vitæ præſentis explicantur. 53. & ſeq.
Aſſueri Regis ab indignatione ad lenitatem converſio, efficaciſſimæ Dei omnipotentiæ tributa ab Auguſtino. 43
Auguſtini cum Adrumetinis Monachis diſputatio exponitur. 34. & ſeq.
Momenta ex ea Auguſtini diſputatione delibata cumulatiſſime ſolvuntur. 51. & ſeq.
Illius cautela in expediendis propoſitis ſibi quæſtionibus. 59. & ſeq.

Vide peculiares titulos rerum, de quibus egit Auguſtinus.

B

Beatitudo quo ſenſu adjutorium dici poteſt, quo ſenſu non poteſt. 29
Certitudo de beatitudinis perennitate, adjutorium ab Auguſtino dici non potuit. ibid
Qui ſic intelligunt, Auguſtino ſententiam abſurdam affingunt. ibid.
Bona quæcumque, quovis in ſtatu, a Deo ſunt, uti ſuprema cauſa efficiente. 44
Bravardinus (Thomas) plenam agendi potentiam, ſola gratia efficaci conferri, diſerte docet. 61.
Capreolus (Joannes) idem docet. ibid
Cajetanus idem habet. ibid

C

Caſalius (Gaſpar) Epiſcopus Leirienſis Ord. S. Auguſtini, efficacis gratiæ neceſſitatem agnovit in ſtatu innocentiæ. 21
Cauſæ ſecundæ vel ex ſolo ſubordinationis ad Deum titulo, moveri ab eo efficaciter, petunt. 43. & ſeq.
Chriſtus gratia efficaciſſima motus, & actus a Spiritu S. 45
Illius prædeſtinatio ante prævisa merita, ac plane gratuita. 46
Ejuſdem gratuita prædeſtinatio exemplar noſtræ. ibid.
Clemens VIII. R. P. motas de gratia quæſtiones, ad Divi Auguſtini mentem expendi jubet. 42.
Idem divinæ gratiæ efficacitatem, ex ſuprema Dei in hominum voluntates omnipotentia repetit. 43
Columna (Ægidius) Archiepiſcopus Bituricenſis, S. R. E. Cardinalis Ord. S. Auguſtini, efficacis gratiæ neceſſitatem agnovit in Adamo. 21
Concilium Arauſicanum ſecundum in ſententiam S. Auguſtini deſcendit. 32
Cavillationes in oppoſitum occupantur. ibid.
Congregatio de divinis Auxiliis, Thomiſtarum ſyſtema approbat, de gratia per ſe efficaci Adamo neceſſaria. 42
Coqueus (Leonardus) Ordinis S. Auguſtini efficacis gratiæ neceſſitatem agnovit in Adamo. 21. & 29.

D

Decreta Dei quovis in ſtatu ſe ipſis ſunt efficacia, & a creatæ voluntatis aſſenſu minime pendent. 46
Delectatio victrix efficacis gratiæ natura eſt, ex Auguſtino. 40
Quo ſenſu naturam gratiæ in delectatione victrici poſitam dixerit, formali ne, an potius cauſali. ibid
Delectatione cœleſti duntaxat vincitur delectatio terrena. 41
Idque non in nobis ſolum, ſed & in primis parentibus, atque Angelis viatoribus. ibid
Victricem delectationem in gratia efficaci agnoſcit Schola Thomiſtica. ibid

E

Electiones Saulis & Davidis ad Regnum temporale, Deo Iſraelitarum voluntates efficaciter movente factæ, ex Auguſtino. 43
Momentum inde a fortiori deducit Auguſtinus, pro actibus ſupernaturalibus. ibid
Eſtius (Gulielmus) gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem defendit in Angelis, & in primis parentibus. 22
Potentiam agendi completam & proximam, per auxilium ſufficiens dari negat. 62

F

D. *Fulgentius* Angelorum perſeverantiam peculiari gratiæ tribuit. 32
Eamdem gratiam homini ſano, ne caderet, neceſſariam docet, quæ eſt homini lapſo neceſſaria, ut ſurgat. ibid
Nonnullorum effugium occluditur. ibid
Gratiam Creatoris a gratia Salvatoris qua ratione diſtinguat. 33
Effugium alterum occupatur. ibid

G

Gavardi (Fridericus Nicolaus) Ord. S. Auguſtini. gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem in ſtatu innocentiæ propugnat. 21
Gelaſius Rom. Pont. Adami lapſum ex orandi negligentia ſecutum docet. 34. & ſeq.
Girken (Nicolaus) Ord. S. Auguſtini, gratiam per ſe efficacem docet primo homini neceſſariam. 22.
Gloriari in ſe ipſo de nulla re poteſt homo, aut etiam Angelus. 34. & ſeq.
Angelos, primoſque parentes de ſuis meritis gloriari potuiſſe, nuſpiam docuit Auguſtinus. 38. & ſeq.
Gratiæ efficacia unde ſuam originem habeat, diſputare a Romanis Pontificibus vetitum: quibus idcirco parendum. 21
Quid diſcriminis inter gratiam efficacem Conditoris, & Salvatoris. 33
Gratiæ efficacis natura poſita in delectatione victrici. 40
Illius neceſſitas non ex ſola naturæ corruptione repetenda. 42. & ſeq.
Hæc bonum uſum liberæ voluntatis operatur in nobis. 44
Hanc nobis largitur Deus, non ſolum titulo Medici, ſed jure ſupremi dominii. ibid
Hæc fuit in Chriſto efficaciſſima, etſi nulla in eo naturæ corruptio fuerit. 45
Eadem in Virgine puriſſima fuit. ibid
Ex duabus gratiis per ſe efficacibus, nil vetat unam eſſe altera efficaciorem, & potentiorem. 47
Hominem ſine gratia efficaci non poſſe, cum illa poſſe, quam frequenter Patres affirment. 53. & ſeq.
De qua tunc potentia loquantur. ibid
Bonus gratiæ uſus ipſaque in bono perſeverantia, quo ſenſu in Adami arbitrio relicta dicitur. 55. & ſeq. & 58.
Gratia efficax actualis, quam diverſæ ſit efficacitatis, atque virtutis, pro ſtatuum differentia. 52. & ſeq.
Ex hac diverſitate omnia pene ex Auguſtino petita argumenta ſolvuntur. 53. & ſeq.
Gratiæ efficacitas non ideo negatur, quod facultas arbitrii commendetur. 55. 57
Ex gratiarum actione graviſſima ratio petitur efficacitatis Divinæ gratiæ. 38. & ſeq.
Qua de re gratias agere debuerint boni Angeli. ibid
Gratia ſufficiens, quo ſenſu in hominis arbitrio relicta dicitur, 56

H

Humilitatis virtus ab Adamo exercenda, elegans ſubminiſtrat argumentum efficacitatis divinæ gratiæ. 39. & ſeq.
Homo non poteſt ſe ipſum facere meliorem, quam Deus eum fecerit. 22. & ſeq.
Homo ſibi melior eſſe non poteſt, quam illi ipſi ſit Deus. 24. & ſeq.
Homo præſertim in ordine ſupernaturali, nihil habet a ſe ipſo, in quo poſſit non in Domino gloriari. 25. & ſeq.
Vide *Angeli*.

I

Janſenius Iprenſis Epiſcopus Thomiſtas Ariſtotelicos potius quam Auguſtinianos appellat. Præf.
Idem Divum Thomam Auguſtinum contractum appellat, ſummiſque laudibus celebrat. ibid
Idem ſecum ipſo apertiſſime pugnat. ibid
Judicia Dei occulta rimari velle, nefas reputat Auguſtinus. 58

L

Ledeſma (Petrus) diſerte fatetur, viros Doctos de Schola Thomiſtica exiſtimare, agendi potentiam ſola gratia efficaci compleri. 62
Lemos (Thomas de) Moliniano Diſputatori reſpondens, in Congregationibus de Auxiliis, D. Auguſtini mentem de gratia Adami exponit, & cum Thomiſtica ſententia conciliat, non ſecus ac nos. 54
Lex nova, quantum eſt de ſe, dat auxilium ſufficiens habituale ad non peccandum. 52
Liber Auguſtini de gratia & libero arbitrio, ſufficientiſſimus ſolvendis controverſiis inter Monachos Adrumetinos enatis. 51
Liberum arbitrium Protoparentum & Angelorum, quid primum poſſet, quomodo Deus oſtendit. 57.
Libertas quo ſenſu major ab Auguſtino dicta eſt, in ſtatu naturæ lapſæ, quam innocentis. 56.

M

MARIA Virgo gratiis per ſe ſe efficaciſſimis mota a Spiritu Sancto, a quo peculiariter agebatur. 45
Maſſoulie (Antoninus) Commendatur. 41. & 62
Merita Adami quo ſenſu humana dicantur ab Auguſtino. 39. & ſeq.
Gloria Angelorum quo ſenſu vocetur meriti merces. 38
Quo ſenſu majus meritum in ſana natura, poteſt poni, quam in lapſa. 39
Meritum cum Deo partiri velle, ſtultiſſimum eſt. 41
Meritum boni operis, gratiæ efficaciam non excludit, ſed potius ſupponit. 42
Molinianorum cauſa præſenti ſcripto non agitatur, ſed alia longe diverſa. 21

Molinianus Diſputator in Congregationibus de Auxiliis, vim maximam petit adverſus efficacitatem divinæ gratiæ, ex Divi Auguſtini in Monachos Adrumetinos Diſputatione. 42
A Molinianis arma nunc in Thomiſtas mutuantur Pſeudo-Auguſtiniani. 43
Motiones a ſe ipſis efficaces, ad actus etiam mere civiles & naturales D. Auguſtinus agnoſcit, 44. & ſeq.

N

Naturæ corruptio ſola non eſt ratio neceſſitatis gratiæ efficacis. 50
Negationis primæ gratiæ ratio plana apertaque dari non poteſt. 43
Hæc ad inſcrutabilia Dei judicia eſt amandanda, non curioſius inveſtiganda. 61
Quæ a nonnullis Theologis proferuntur, hujus ænigmatis explicandi rationes, ſupervacuæ ſunt, ibid. & ſeq.

O

Omnipotentia Dei, in flectendis hominum cordibus, iiſdemque quo voluerit perducendis, multis oſtenditur. 27. 43
Orationis in Adamo quanta neceſſitas, ad obtinendum perſeverantiæ donum. 34
Ex oratione petito momento, probat D. Auguſtinus gratiæ efficacis neceſſitatem, ad fidem & perſeverantiam. ibid
Orandi lex naturalis, atque ita in omni ſtatu agnoſcenda. ibid
Ex orationis defectu ortus eſt lapſus Adami. 35.
Oratio Adamo neceſſaria ad obtinendum perſeverantiæ donum, non ſimplex erat deſiderium, ſed vera ſupplicatio, & poſtulatio. 36
Orandi neceſſitas in Adamo ab Auguſtino minime negata, imo potius diſertiſſime probata. 37
Eadem neceſſitas a Divo Thoma agnita, non negata. ibid

P

Perſeverantia. Vide *Adam*, *Angeli*.
Prædeſtinationis gratuitæ dogma novo ſuo ſyſtemate deſtruunt Pſeudo-Auguſtiniani. 46
Prædeſtinationis noſtræ omnino gratuitæ exemplar eſt Chriſti Domini prædeſtinatio. ibid
Prædeſtinatio gratuita aut nulla eſt, aut in omni ſtatu ponenda. 47
Prædeſtinatio certa eſt, non modo certitudine præſcientiæ, verum etiam mediorum, & cauſalitatis, quocumque in ſtatu. ibid
Prædicatio Evangelica cur ad certum tempus dilata. 49

Q

Quæſtio inſcrutabilis, cur unus vocationi conſentiat, non item alter: Cur unus in accepta juſtitia perſeveret; excidat alter. 29
Quæſtio inſcrutabilis, cur malorum Angelorum voluntates non in bonum converterit Deus. 58.
Quæſtionibus Paganorum qua cautela ſatisfaciat Auguſtinus, miſſa diligentiori inquiſitione rerum ad ſecretiora Dei judicia pertinentium. 59
Quæſtionibus Manichæorum pari cautela reſpondet. ibid.
Quæſtioni de Adami perſeverantia, a Monachis Adrumetinis propoſitæ reſpondet, quantum ſatis eſt, ad illorum ſcrupulos eximendos. 58
Eidem reſpondet quantum humano ſtudio fieri poteſt, intacto inſcrutabili judicio. ibid
Querelæ Monachorum Adrumetinorum in Divum Auguſtinum, ob defenſatam ab eo efficacis gratiæ neceſſitatem. 48

R

Ratio nulla plana atque plauſibilis Divo Auguſtino ſuboluit, denegationis primæ gratiæ. 60.
Rationes Metaphyſicæ dari ſolitæ, ad explodendam Scientiam mediam, ejus abſolutam, ac pro omni ſtatu impoſſibilitatem oſtendunt. 47
Reginaldus (Antoninus) commendatur. 52. & 62. & ſeq.
Reſponſa ſingulatim & individue data ſingulis Auguſtini ſententiis, ex ejus cum Monachis Adrumetinis diſputatione excerptis. 54. & ſeq.

S

Sancti quo magis vacui ſunt carnis affectibus, & quo magis Deo per caritatem conjunguntur, eo magis efficacibus gratiis aguntur a Spiritu Sancto. 45
Scientia Dei quovis in ſtatu cauſa rerum, non modo dirigens, verum etiam efficiens. 47
Scientia media quocumque in ſtatu penitus impoſſibilis. 48
Hanc una manu diruunt, altera ædificant Pſeudo-Auguſtiniani novo ſuo ſyſtemate conſtituto. ibid.
Soto (Petrus) potentiam agendi completam & proximam per ſolum auxilium efficax dari docet. 61.
Spes in ſolo Deo reponenda, per auxilia ſe ipſis efficacia opitulante. 26. & ſeq.
Syſtema gratiæ verſatilis in ſtatu naturæ innocentis, non ideo probandum ac recipiendum, quod objectam Monachorum Adrumetinorum difficultatem evacuare, & expedire videatur. 53
Sylvius (Franciſcus) efficacis gratiæ neceſſitatem agnoſcit quocunque in ſtatu. 22
Potentiam agendi completam & proximam, per auxilium ſufficiens dari negat. 61

T

Tentationes quænam in ſtatu innocentiæ ſuperandæ. 36. 40
Theologi, contra quos hic agitur, nec Thomiſtæ, nec Moliniani, qui neutrius Scholæ principiis ſtant. 21
Eorum ſententia explicatur. ibid
Eorum a Thomiſtis divortium quam exitiale. ibid. & 58.
S. Thomas Auguſtinus contractus a Janſenio dictus. Præf.
Ab eodem interdum laudibus cumulatus. Præf.
D. Thomæ ſumma laus eſt, quod Divum Auguſtinum religioſe ſectatus ſit. Præf.
Hunc Ariſtotelem Auguſtino prætuliſſe, tetra calumnia eſt. Præf. & pag. 22
Efficacis gratiæ neceſſitatem, ex corruptione quoque humanæ naturæ petiit, perinde ac D. Auguſtinus. 22. & ſeq.
Quo ſenſu dixerit Adamum gratia non eguiſſe ad vitanda peccata. 38
Quidquid Auguſtinus de variis naturæ ſtatibus fuſe docuit, compendio dixit D. Thomas, nec tamen efficacem gratiam Adamo neceſſariam creditur denegaſſe. 52
Thomiſtis minime ſuccenſendum, quod in præſenti ſolvenda quæſtione, ad inſcrutabilia Dei judicia confugiant. 61
Horum aliqui ad alias Scholæ ſubtilitates fruſtra confugiunt, ut negatæ primæ gratiæ rationem plauſibilem proferant. ibid
Thomas de Argentina efficacis gratiæ in Adamo neceſſitatem agnovit. 21
Thomas Angelus eamdem peculiari ſcripto defendit. 22

V

Valentinus Abbas a Divo Auguſtino per Epiſtolas monitus, de ſedandis Monachorum ſuorum Controverſiis. 51
Voluntas quamlibet bona inops eſt, niſi eam Deus faciat excitando avidiorem. 30
Voluntatem humanam quam efficaciter & indeclinabiliter moveat Deus, in actibus etiam mere civilibus exercendis, 42, & ſeq.
De Voluntate creata a Deo efficaciter mota plura lege V. adjutorium, & gratia.

Z

Zumel (Franciſcus) agendi potentiam completam & proximam, per auxilium ſufficiens dari diffitetur. 61

FINIS.

VINDICIÆ VINDICIARUM

AMBROSII CATHARINI:

SEU

DE NECESSARIA IN PERFICIENDIS

SACRAMENTIS INTENTIONE,

THEOLOGICA DISSERTATIO

Contra Domeſticum Impugnatorem, vindicata, defenſa, confirmata, magnaque rerum acceſſione noviſſime, & aucta & illuſtrata

A F. JACOBO HYACINTHO SERRY

ORD. PRÆD. DOCTORE SORBONICO,

Et in Academia Patavina primario Sacræ Theologiæ Profeſſore.